Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26279
Copyright: Admont, Benediktinerstift



titudines. ita & darium interpretatur: quod omnes
ad penitentiam provocet. Et queritur utrum hoc
in isto mundo futurum sit an in altero. vel certe
post alios mundos. Quem nos pro deliramentis
& cassis ducentes fabulis. hoc solum dicimus.
ideo signa fieri per servos dei apud barbaras nati
ones. ut unius dei cultus & religio predicetur.
Porro daniel perseveravit usque ad regnum darii. &
regnum cyri persę. Ergo quod supra legimus in fine
primę visionis. fuit autem daniel usque ad annum
primum cyri regis. non vitę illius tempus acci
piendum est. Siquidem in ultima legimus visione.
anno tercio cyri regis persarum verbum revelatum
est danieli cognomento balthasar. sed hoc signifi
catur quod usque ad primum regnum cyri regis qui
chaldeorum destruxit imperium daniel potens
fuerit in chaldea. postea vero a dario in medos trans
latus sit. Anno primo balthasar regis baby
lonis daniel somnium vidit. Hęc ἐπεπίκοπε. quam
nunc conamur exponere & sequens de qua dictu
ri sumus. prior est iuxta hystoriam quam duę
superiores. Ista enim & sequens primo & tercio anno